



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

**Die XV. Novembris. In Festo S. Gertrudis Virginis &
Abbatissae**

[S.l.], [ca. 1770]

Die XV. Novembris. In Festo S. Gertrudis Virginis & Abbatissæ. Duplex.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-62880](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-62880)

Die XV. Novembris.
IN FESTO S. GERTRUDIS
VIRGINIS & ABBATISSÆ.

Duplex.

*Omnia de communi Virginum præter seq.
Oratio.*

DEUS, qui in corde beatæ Gertrudis
Virginis jucundam tibi mansionem
præparasti; ipsius meritis & intercessione
cordis nostri maculas clementer absterge,
& ejusdem tribue gaudere consortio. Per
Dominum.

IN I. NOCTURNO.

Lect. de Scriptura occurrente.

IN II. NOCTURNO.

Lectio IV.

Gertrudis Islebii in Saxoniâ nobili gene-
re nata, quinquennis in Monasterio Ro-
dardensi, Ordinis Sancti Benedicti, virgini-
tatem suam, ac se ipsam JESU Christo
obtulit. Quo ex tempore à mundanis re-
bus prorsus aliena, virtutique sedulò inten-
ta, cœlestis vitæ genus instituit. Ad huma-
norum Litterarum notitiam rerum divi-
narum cognitionem adjunxit. Quarum
meditatione vehementiùs ad virtutem in-
censa, brevì Christianam perfectionem a-
depta est. De Christo, ejusque vitæ mysteriis
sæpenumerò pio cum animi sensu loque-
batur:

⋈

batur:

batur: unamque Dei gloriam cogitans, ad
illam vota sua omnia, & actiones referebat.
Quamvis autem multis eximiis naturæ &
gratiæ donis à Deo aucta esset, ita tamen sibi
ipsa vilescibat, ut inter præcipua divinæ
bonitatis miracula hoc item memoraret,
quòd se indignissimam misericorditer susti-
neret. *R.* Propter veritatem.

Lectio V.

Trigesimum ætatis annum agens, pri-
mùm Rodardensis Monasterii, ubi re-
ligiosam vitam est professa, deinde Elpedia-
ni præses electa, quadraginta annorum spa-
tio, ea charitate, prudentia, & regularis disci-
plinæ studio munus obivit, ut Cœnobium
religiøsæ perfectionis domicilium videre-
tur. Utrobique verò, licèt esset omnium Ma-
ter & Magistra, omnium ramen minima ha-
beri volebat, ac demissione pari ministram
se exhibebat. Quòd liberiùs Deo vacaret, vi-
giliis, abstinentia, aliisque cruciatibus cor-
pus afflixit; semperque sui similis, morum
innocentiam, mansuetudinem, ac patienti-
am prætulit singularem. Proximorum saluti
omni ope studuit, piæque curæ copiosum
fructum retulit. Divini amoris vi frequen-
tes patiebatur ecstases: altissimæque con-
templationis, & divinæ unionis donum
obtenuit. *R.* Dilexisti.

Lectio

Lectio VI.

Ut meritum acceptissimæ sibi Sponsæ Christus ostenderet, in corde Gertrudis jucundam sibi esse mansionem testatus est. Deiparam Virginem veluti Matrem, ac Curatricem à Jesu acceptam pietate præcipuâ prosequabatur; ab eaque multa accepit beneficia. Erga divinissimum Eucharistiæ Sacramentum, & Passionem Domini tanto amore cum grati animi sensu afficiebatur, ut interdum uberioribus lacrymis perfunderetur. Justorum animas piacularibus flammis addictas quotidianis subsidiis, & precibus juvabat. Multa ad confovendam pietatem scripsit. Divinarum etiam revelationum, ac prophetiæ dono claruit. Denique flagrantissimo Dei amore potiùs, quàm morbo languescens, anno Domini millesimo ducentesimo nonagesimo secundo vitâ decessit. Miraculis vivens, & post mortem à Deo illustrata est.

¶. Afferentur Regi.

IN III. NOCTURNO.

Honil. S. Gregorii Papæ in Evang. Simile erit regnum cælorum decem virginibus. de communi Virginum. Missa: Dilexisti.



Faint, illegible text, likely bleed-through from the reverse side of the page. The text is arranged in several lines and appears to be a formal document or letter.